Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1177
Quelle:
Copyright:

tur: *Sermo cancellarij ad clericos. Joh. Gerſonem* deſignari vix dubium eſt. Thema praefixum illud *Apoc.* 2. *Vincenti dabo edere de ligno* &c. Acris invectiva in Cleri mores. Ita, poſtquam electiones ſui temporis non *canonicas* ſed *caninas* dixiſſet, infert: *Canes dum nihil habent inter ſe ad diuidendum pacifici ſunt ſi autem proiciantur inter eos oſſa ſtatim oblatrant et ſe ad inuicem dilaniant. ſic canonici quando non uacat eccleſia pacifici ſunt. ſed uacante canes ſunt accuſat alter alterum* &c. Excutiat, cui vacat, Editionem *Gerſonis*, dictam *Dupinii*; mihi quidem *Sermo* nondum editus videtur.

CCC. VII. G. 21.

569 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 169. 4. ſat bene ſcriptus et rubricis diſtinctus Συνταγμα quoddam offert Theologicum e Sacris Literis et Dictis PP. praecipue *Origenis*, *Cypriani*, *Joh. Chryſoſtomi*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Caſſiodori*, *Gregorii M.*, *Iſidori*, *Bedae*, *Alcuini*, *Haymonis* conflatum. Praefixit illi Compilator ignotus *tres* illos *Prologos*, quos *Zacharias Chryſopolitanus Concordiae* ſuae *Evangelicae* a nobis *Codd.* CVI. et CVII. relatae praemiſit, quorum unica in *Codice* inſcriptio: *De excellentia quatuor euangeliorum edita a patribus.* Correctius hic eos exaratos, quam quidem in *Bibl. PP. Lugdun.* T. XIX. p. 732. editos manifeſtus ſub ipſum initium error declarat; pro edito enim: *intenſione, ſiue*, reſcribendum e Noſtro: *intentione, fine.* Ne vero quis ex his *Prologis* illico concludat Opus ipſum ad *Zachariam* referendum eſſe, obſtat illud, quod *Prologi* nullum omnino cum Opere nexum habeant, et quod Compilator per decurſum bis inter alios Autores ad *Zachariam* provocet, ut ſuo loco dicetur. *Prologos* porro excipit *Nota* de Anima Chriſti unita Divinitati, in qua: *Multi ergo aſſerunt. ut alcwinus in libro de trinitate ad karolum. animam chriſti tantam ſcientiam de omnibus habere. quantam diuinitas ipſa habet. — Aliis uero non uidetur* &c. et mox totius Compilationis Οικονομια, quam adſcribo: *Prima Pars continet de Patre et Filio. de angelis. de adam. de fide antiquorum. de prophetis. de apoſtolis. Secunda de intellectu ſcripturarum. de diapſalmate. de obelo et aſteriſco. de diuitibus. Tercia de ſacrificiis paganorum et noſtris. de baptiſmo. de uiuentibus ex oblationibus. Quarta de incommodis que propter peccata eueniunt. de ipſis peccatis. de iuribus iurandis. de teſtimoniis. mendaciis. furtis. negotiationibus. de auaricia. uſura. que liceant. que non. de boneſto. et inboneſto opere. De confeſſione. de remiſſione. de quibusdam mundanis. Quinta de poteſtate ligandi et ſoluendi. de paſtoribus. et doctoribus. de ordinatione. de doctrina domeſtica. de hereticis. de excommunicatione. qui tolerandi ſint. qui non. de ſynagoga et hebreis. de*